



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Præstare filium doloris esse in hac, quàm in altera vita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Pannoniæ regem, asylum utique excellens. Sed redire illuc datur,  
etabat, ne patientia atque humilitatis, quas in miserijs inuenerat,  
occasionem, inter regales delicias, amitteret. Habebat enim, tan-  
quam Dei filia, diuinum patiendi characterem, thesauris omnibus  
chariorem. Quid hanc fortitudinem, in heroide Christiana, mire-  
mur? Attalus Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, Senec.lib.1.  
quam in delicis habeat. torqueor, sed fortiter; bene est. occidor, sed ep.67.  
fortiter: bene est. Audi Epicurum, dicet: Et dulce est. Vixit, sed iniui-  
tus. Quid ni optibile sit, non quod vixit me ignis, sed quod non vincit.  
Nihil est virtute prestantius, nihil pulchrius: & bonum est, & optabile,  
quidquid ex huius geritur imperio. Sic ex hominibus heroës, sic se-  
midei, sic dij efficiuntur. Denique sic Deus nos prædestinavit con-  
formes fieri imaginis Filij sui; idcōq, & nos per patientiam currēmus ad  
propositum nobis certamen: afficiētes in authorem fidei, & consumma-  
torem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione con-  
temta. Atque hoc alterum erat, quod, contra Fortunæ iuctus, reme-  
diūm numerauimus.

Sequitur tertium, paruo malo, grande, immo æternum ma-  
lum redimi, Quis Fortune casus potest tam esse acerbus, quām  
gehennæ cruciatus? quæ confusio huius vitæ non debet contem-  
ni, præ confusione, quæ, coram toto Mundo, in extremo iudi-  
cio, atque postea, sine fine, erit in Inferno? Saepè autem Deus hic  
cruciatus, vt in æternum parcat. Itaque tribulatio & dolor non tan-  
tum est, in electis, character & signum, eos esse filios Dei, sed etiā  
esse electos. Vtriusque simul figuram habemus in diuinis historijs.  
Rachel enim ultimum charissimumque filium Benoni, hoc est, fi-  
lium doloris (sicut Isaías Christum, virum dolorum, & scientem infir-  
mitatem) Jacob autem eundem Beniamin, hoc est, filium dextræ  
nominavit. Quid est hoc aliud, quām filios Dei, qui persecutio-  
nem patiuntur, esse non tantum Benoni, seu filios doloris, sed etiam  
Beniamin, filiosq, dexteræ, qui scilicet in illâ dexterâ collocabun-  
tur, ubi agni, non hædi, iudicante Domino, statuentur?

In Turrium cœnobio, canitie veneranda senex adeò seuerè  
vixerat, vt in multa corporis incommoda caderet. Inter quæ fuit  
etiam hydrops. Veniebant ergo ad illum, è diuersis locis, qui eum  
consolarentur, rogarentque, vt, in ista præsertim ætate atque inua-  
letudine, non nihil de tam austera viuendi consuetudine remitte-  
ret; nam & frondem, medio die, cum æstus exsiccat, arboratores

Rom. 8.29.  
Hebr. 12.2.

## IV.

Genes. 35.  
Isa. 53.3.

Matth. 25.  
33.

V.  
Præf. Spirit.  
cap. 8.